

THE CHARTER OF MARYLAND.

CAROLUS Dei Gratia Angliæ Scotiæ Franciæ et Hiberniæ REX fidei defensor, &c. Omnibus ad quos præsentis litteræ nostræ pervenerint SALUTEM.

II. CUM per dilectus et perquam fidelis subditus noster Cæcilius Calvert baro de Baltimore in regno nostro Hiberniæ filius et hæres Georgii Calvert militis nuper baronis de Baltimore in eodem regno Hiberniæ patris inhærens vestigiis laudabili quodam et pio christianam religionem pariter et imperii nostri territoria dilatandi studio flagrans licentiam nobis ut copiosam Anglicanæ gentis coloniam industriâ ac impensâ suâ ad certam quandam regionem inferius describendam in terrâ quâdam in partibus Americæ hæctenus incultâ et barbaris nullam Divini Numinis Notitiam hæbentibus in partibus occupatâ deducere possit totamque illam regionem cum certis quibusdam privilegiis et jurisdictionibus ad coloniæ suæ et regionis prædictæ salubre regimen et statum pertinentibus a regiâ nostrâ celsitudine sibi et hæredibus suis dari concedi et confirmari humiliter supplicaverit.

III. SCIATIS igitur quod nos pium et nobile præfatorum baronum de Baltimore propositum et studium regio favore prosequentes ex gratiâ speciali certâ scientiâ et mero motu nobis dedimus concessimus et confirmavimus et per hanc præsentem chartam nostram pro nobis hæredibus et successoribus nostris præfato Cæcilio modo baroni de Baltimore hæredibus et assignatis suis damus concedimus et confirmamus totam illam partem peninsulæ sive Chersonesii jacentis in partibus Americæ, inter oceanum ex oriente et sinum de Chesapeake ab occidente a residuo ejusdem per rectam lineam a promontorio sive capite terræ vocato Watkin's Point juxta sinum prædictum prope fluvium de Wighco scituato ab occidente usque ad magnum oceanum in plaga orientali ductam divisam et inter metam illam a meridie usque ad partem illam estuarii de Delaware ab aquilone quæ subjacet quadragesimo gradui latitudinis septentrionalis ab æquinoctiali ubi terminatur Nova Angliâ totumque illius terræ tractum infra metas subscriptas (videlicet) transeundo a dicto æstuario vocato Delaware bay rectâ lineâ per gradum prædictum usque ad verum meridianum primi fontis fluminis de Pattowmack deinde vergendo versus meridiem ad ulteriorem dicti fluminis ripam et eam sequendo qua plaga occidentalis ad meridionalem spectat usque ad locum quendam appellatum Cinquack prope ejusdem fluminis ostium scituatum ubi in præfatum sinum de Chesapeake evolvitur ac inde per lineam brevissimam usque ad prædictum promontorium sive locum vocatum Watkin's Point ita quod totus terræ tractus per lineam prædictam inter magnum oceanum et Watkin's Point divisus usque ad promontorium vocatum Cape Charles et singula sua appendicia nobis hæredibus et successoribus nostris integre remaneant excepta imperpetuum.

IV. NEC NON omnes insulas et insululas infra limites prædictos concedimus etiam et confirmamus eidem baroni de Baltimore hæredibus et assignatis suis omnes et singulas insulas et insululas ab orientali prædictæ regionis littore orientem versus in mari natas vel nascendas infra decem leucas marinas ab eodem littore scituatas cum omnibus et singulis portibus navium stationibus æstuariis fluminibus et fretis ad regionem vel insulas prædictas pertinentibus omnesque fundos terræ campestris sylvas montana paludes lacus flumina æstuaris et freta infra metas terminos et limites prædictos scituata seu existentia cum cujuscunque generis piscium tam balænarum sturgeonum et aliorum regalium quam aliorum in mari sinibus fretis vel fluminibus infra præmissa piscationibus et piscibus ibidem captis omnibusque insuper auri argenti gemmarum et lapidum pretiosorum et alias quascunque sive lapidum sive metallorum sive alterius cujuscunque rei aut materiæ venas mineras et fodinas tam apertas quam occultas infra regionem insulas seu limites prædictos repertas et reperiendas et hoc amplius omnium ecclesiarum quas (crescente Christi cultu et religione) infra dictam regionem insulas insululas et limites prædictos futuris temporibus ædificari contigerit patronatus et advocaciones una cum licentiâ et facultate ecclesias capellas et oratoria in locis infra præmissa congruis et idoneis extruendi et fundandi eaque dedicari et sacrari juxta leges ecclesiasticas regni nostri Angliæ faciendi cum omnibus et singulis hujusmodi ac adeo amplis juribus jurisdictionibus privilegiis prerogativis regalitatibus libertatibus immunitatibus juribusque regalibus et franchisiis quibuscumque temporalibus tam per mare quam per terram infra regionem insulas insululas et limites prædictos habendis exercendis utendis et gaudendis prout aliquis episcopus Dunelmensis infra episcopatum sive comitatum palatinum Dunelmensem in regno nostro Angliæ unquam antehac habuit tenuit usus vel gavisus fuit seu de jure habere tenere uti vel gaudere debuit aut potuit.

V. IPSUMQUE